



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

83. De maleficio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-19366

LXXVII
VARTIO
LVII.LXXIX. *De homine penduto & ejus hereditate.*

Si quis homo propter furtum comprehensus fuerit, & legitime superjuratus, & iudicio Principis pendutus, vel in quocunque liber patibulo vitam finierit, omnes res ejus heredes possideant, excepto capitale & delatura in locum restituant.

LXXX. *De via lacinia.*

Si quis Ripuarius ingenuum Ripuarium de via sua obstaverit, quindecim solidis culpabilis iudicetur, aut cum sex juret quod ei viam suam cum armis nunquam contradixisset.

LXXXI. *Vt parvulus non respondeat ante quindecim annos.*

Si quis homo Ripuarius defunctus fuerit, vel interfectus, & filium reliquerit, usque ad quintum decimum annum plenum nec causam prosequatur nec in iudicio interpellatus responsum reddat. Quindecimo autem anno aut ipse respondeat, aut defensorem eligat. Similiter & filia.

LXXXII. *De damno in messe vel in clausura.*

I. Si quis Ripuarius in messe aliena vel in quacunque libet clausura damnum fecerit, aestimatione damni culpabilis iudicetur. Si autem negaverit, & convictus fuerit, capitale cum furto & delatura culpabilis iudicetur.

II. Si quis peculium alienum in messe adprehensum ad parvicum minare non permisit, quindecim solidis culpabilis iudicetur, aut cum sex juret quod hoc non fecisset.

LXXXIII. *De maleficio.*

I. Si quis vir seu qua mulier Ripuaria per venenum, seu per aliquod maleficium aliquem perdidit, vveregildum componat.

II. Si autem mortuus non fuerit, & varietatem seu debilitatem probabilem ex hoc in corpore habuerit, centum solidis culpabilis iudicetur, aut cum sex juret.

LXXXIV. *De Grafione in iuste invitato.*

Si quis Grafionem ad res alienas iniuste tendas invitaverit, quadraginta quin-

que solidos componat, & similem restituat.

LXXXV. *De corpore expoliato.*

I. Si quis corpus mortuum, priusquam sepeliatur, expoliaverit, centum solidis cum capitale & delatura multetur.

II. Si autem eum ex humo traxerit & expoliaverit, ducentis solidis cum capitale & delatura culpabilis iudicetur, vel vvargus sit, hoc est, expullus, usque dum parentibus satisfaciatur.

LXXXVI. *De caballo excorticato.*

I. Si quis caballum alterius mortuum seu quodcunque liber animal extra consilium domini sui excorticaverit, triginta solidis culpabilis iudicetur.

II. Si autem negaverit, & convictus fuerit, centum solidis cum capitale & delatura multetur.

LXXXVII. *De homine forbannito.*

Si quis hominem qui forbannitus est in domum recipere presumpserit, si Ripuarius est, sexaginta solidis, si regius, Romanus, vel ecclesiasticus, triginta solidis culpabilis iudicetur.

LXXXVIII. *Vt nemo munera in iudicio accipiat.*

Hoc autem consensu & consilio seu paterna traditione & legis consuetudine super omnia iubemus, ut nullus optimatum, major domus, domesticus, Comes, Grafio, Cancellarius, vel quibuslibet gradibus sublimatus, in provincia Ripuaria in iudicio residens, munera ad iudicium perventum non recipiat. Quod si quis in hoc deprehensus fuerit, de vita componat.

LXXXIX. *Vt iudices sive missi fiscales freda non exigant priusquam facinus componatur.*

Nec nullus iudex fiscalis de quacunque libet causa freda non exigat priusquam facinus componatur. Si quis autem per cupiditatem ista transgressus fuerit, legibus componatur. Fredam autem non illi iudici tribuat cui culpam commisit, sed illi qui solutionem recipit, tertiam partem coram testibus silco tribuat, ut pax perpetua stabilis permaneat. Amen.

EXPLICIT LEX RIPVARTORVM. DEO GRATIAS. AMEN.

